



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopo cæco, qui per presbyterum suum, presbyterum, & diaconos  
duos ordinauerat. cxi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

Seuerum fratrem & coepiscopum nostrum, vt, si necesse fuerit, ipse in suprascripta Ecclesia, consideratis patrum regulis, hoc fungatur officio, quo ille abusus esse conuictus est: ita vt hi qui illicitè ab eodem sunt prouecti, ab ecclesiasticis ministeriis remoti sint.

*De episcopo caco, qui per presbyterum suum, presbyterum & diaconos duos ordinauerat. Cap. CXI.*

*Ex concil.  
Braga.  
cap. 5.*

**A**D cognitionem nostri examinis Gabrensis diaconi relatu peruenit de quibusdam ipsius Ecclesie clericis, quorum dum vnus ad presbyterij, duo ad Leuitarum ministerium consecrarentur, episcopus autem eorum oculorum dolore detentus, fertur manum suam super hos tantum posuisse, & presbyterum quendam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam presumptionis audaciam poterat accusatus iudicio presentis damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione preuentus: sed quia iam ille examini diuino relictus est, humano iudicio accusari non potest: hi qui super sunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiam potius eulogium perceperunt, ne sibi licentiam talis usurpatio faciat, decreuimus vt gradum sacerdotis, vel Leuitici ordinis quem peruersè adepti sunt depositi æquo iudicio abutatur. Tales enim merito iudicati sunt remouendi, quia prauè inuenti sunt constituti.

*Quòd non oporteat episcopum per pecuniam quempiam ordinare. Cap. CXII.*

*Ex concil.  
Chalced.  
Cap. 2*

**S**I quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub precio redegerit spiritus sancti gratiam que non potest vendi, ordinaueritque per pecuniam episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero: proprii gradus periculo subiacebit. & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione proficiet, sed alienus sit à dignitate. Si quis verò mediator datis vel acceptis extiterit: si quidem clericus fuerit, proprio gradu decedat: si verò monachus, aut laicus, anathematizetur.

*Quòd munus etiam sit à lingua vitandum. Cap. CXIII.*

*Ex dictis  
Gregorii  
papæ.*

**S**unt nonnulli qui nummorum quidem premia ex ordinatione non accipiunt, tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur. Hi nimirum quod gratis accipiunt,